



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

83. Philippi IV. Regis Hispaniarum Diploma Dat. Anno MDCXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

specialiter rogatorum; Anno & die ut supra, &c. Et quia ego Ioannes Bre-  
dimus sacrâ Imperiali autoritate, & à Regio Consilio Luxemburgen-  
si approbatus Notarius publicus & Scriba Iuratus in Remich, omnibus &  
singulis, vti præmittitur, dum sic fierent & agerentur, vna cum prædictis  
testibus præsens & rogatus interfui, eaque sic fieri vidi, audiui & in notam  
sumpsi, ideo exinde præsens publicum Instrumentum manu propria scripsi,  
subscrispsi, signoque mei Notariatus solito, nomine & cognomine communi-  
ui in fidem ad hæc specialiter requisitus. Actum in dicto Bous, Anno Men-  
se & die ut supra.

83.

*PHILIPPI QUARTI REGIS HISPANARUM Diploma Datum & Anno  
MDCXXIII.*

**P**HILIPPVS DEI gratia Rex Castellæ, Legioniæ, Arragoniæ, vtriusque  
Siciliæ, Hierosolymæ, Portugallia, Nauarriæ, Granatiæ, Toleti, Valen-  
tiæ, Galiciæ, Maioticarum, Siuilia, Sardinia, Cordubæ, Corsicæ,  
Murciæ, Iahen, Algarbiæ, Algesia, Gibraltar, Insulatum Canariæ, India-  
rum, tam Orientalium quam Occidentalium, Insularum & terræ firmæ, ma-  
ris Oceani. Archidux Austria, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantæ,  
Limburgi, Luxemburgi, Geldriæ & Mediolani, Comes Habsburgi, Flandriæ,  
Arthesiæ, Burgundiæ, Tirolis, Palatinus & Hannoniæ, Hollandiæ, Zee-  
landiæ, Namurci & Zutphaniæ, Princeps Swæuia, Marchio Sacri Imperii  
Romani, Dominus Frisiæ, Salinaram, Mechliniæ, Ciuitatum, Oppidorum  
& Territorij Traiecti, Transulana & Groningæ, nec non Dominator in  
Asia & in Africa. Omnibus præsentes litteras visuris salutem. Cum ex por-  
recta nobis supplicatione Reuerendi Patris, Abbatis, & deuotorum nobis in  
Christo dilectorum Religiosorum Prioris & Conuentus Monasterij SANCTI  
MAXIMINI in suburbio Ciuitatis Treuerensis, ordinis Sancti Benedicti  
nobis innotuerit, qualiter præfatum Monasterium, à Diuis Romanorum  
Imperatoribus, antiquissimè fundatum, varijsque iuribus, dominijs, pos-  
sessionibus, priuilegiis, exemptionibus, prærogatiis & libertatibus, decora-  
tum & dotatum fuerit, quodque Illustres Prædecessores nostri, Dukes  
Luxemburgi & Comites à Chiny ex speciali priuilegio Imperiali, Aduoca-  
tiam supremam ipsius Monasterii diutissimè commissam obtinuerint, atque  
illud Monasterium in Capite, & in membris, eiusque homines, bona, redi-  
tus, ac Iura ipsorum, siue in Ducatu Luxemburgensi, siue extra sita sint,  
contra iniuriam, turbationem, violentiam, aut molestiam quoruncunque  
vel cuiuscunq; status aut præminentia essent, protegere, manuteneri,  
defendere, & à grauaminibus, violentiis, oppressionibusque conseruate con-  
fuerint: Tum etiam quod in eundem finem Philippus Secundus (glori-  
osa memoria) Dominus & Aius noster, litteris Patentibus nona lunii, An-

no

no Millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo datis, immunitatem  
 siue Saluaguardiam in amplissima forma concesserit. Ipsi autem reciprocè  
 maiorum suorum vestigijs insistendo, nobis & Successoribus nostris, Ducibus  
 Luxemburgensibus omnem reuerentiam, fidem & honorem, quæ de Iure aut  
 consuetudine tenentur, in perpetuum præstare promiserint. Ac eapropter à  
 nobis humiliter petierint, ut prædictam Saluaguardiam renouare, & iuxta mo-  
 rem Predecessorum nostrorum clementer continuare, habere & suscipere eos  
 in nostram protectionem, tuitionem & defensionem, eorumque libertates,  
 prærogatiwas & priuilegia prædicta confirmare dignaremur. NOTVM FACI-  
 MVS quod nos sacerorum Imperatorum & aliorum progenitorum nostrorum,  
 ac particulariter (gloriosè memorię) prædicti Domini Aui nostri vestigijs in-  
 herentes, consideratà laudabili obteruantia regulari, de qua, tam ipse Abbas,  
 quā Religiosi eiusdem Monasterij fide digno apud nos commendantur testi-  
 monio, & quatenus eorum precibus & suffragiis Deo acceptiores esse valea-  
 mus: præfatum Monasterium Sancti Maximini tam in capite, quā in mem-  
 bris, Abbatे videlicet & Conuentu, Religiosis fratribus, ac etiam eorum do-  
 miniis, ditionibus, villis, prædijs, hominibus, subditis, Vasallis, Scultetis,  
 Officiarijs, Iusticiarijs, Clientibus, Colonis, Villicis, seruitoribus, famu-  
 lis, negotiorum gestoribus, animalibus, & ceteris bonis mobilibus & im-  
 mobilibus, quibuscumque præsentibus & futuris vbiquscumque locorum sitis &  
 collocatis in nostram tuitionem, protectionem, tutelam & specialem Salua-  
 guardiam ratione Ducatus nostri Luxemburgensis iuxta vota Imperialia, ac  
 more Predecessorum nostrorum Principum Luxemburgensium continuandu-  
 m, suscipiendum, amplectendum & ponendum duximus; continuamus,  
 suscipimus, amplectimur, & ponimus ex certa scientia, & de gratia nostra  
 speciali per præsentes. Et insuper ex nostra ampliori gratia, omnes & singu-  
 las antememoratorum Abbatum & Religiosorum libertates, exemptiones,  
 Iura, priuilegia, gratias, indulta & præminentias, illi Monasterio concessas  
 & spectantes, & quibus antea soliti sunt debitè vti & gaudere approbavimus,  
 ratificauimus, & quantum in nobis est, & opus fuerit, confirmamus, appro-  
 bamus, & ratificamus per earundem præsentium tenorem. Dantes & conce-  
 dentes eidem, Abbat, & Religiosi, quatenus dictis omnibus & singulis li-  
 bertatibus; iuribus, & priuilegijs quibuscumque ad ipsum Monasterium spe-  
 ciantibus plenariè & pacifice vti & gaudere valeant, prout & quemadmo-  
 dum sui Prædecessores eiusdem Monasterii Abbates & Religiosi ab omni an-  
 tiquitate & prisco tempore debitè fecerunt & facere soliti sunt: Cæterum,  
 quia ad plenum edocti sumus, eundem Conuentum & Religiosos, quando  
 Abbates illorum è viuis exceedere contingit, secundum antiquam præroga-  
 tiuam, & consuetudinem solitos esse in locum defuncti alium Successorem  
 liberè eligere, quo ipsi, Abbas & Conuentus nostram erga se propensionem  
 clarius percipere possint, pro ratione nostræ Aduocatiæ ac Protectionis in  
 futurum sedulò, quoad in nobis erit, operam dabimus, ne deinceps iure libe-  
 ræ suæ electionis eidem Conuentui competentis frustrari, aut fraudari possint.  
 Quocirca precamur dilectissimam & charissimam bonam Amitam nostram,  
 Dominam Isabellam Claram Eugeniam Dei gratia Hispaniarum Infantem  
 &c. & districte præcipientes, mandamus dilectis & fidelibus nostris: Guberna-  
 tori, Præsidi & Consilio nostro prædictarum ditionum nostrarum Luxembur-  
 gensium & Chiniacensium, nec non Præpositis, cæterisque Iustitiarijs, Officia-  
 riis ac eorum locumtenentibus ibidem præsentibus & futuris, quatenus præfa-

tos: